



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

[19. &] 20. Tres personæ penes Grammaticos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SYMBOLUM 19.

*Tres personæ penes Grammaticos.*

**P**ersonas numerat Triadis sub imagine ternas,  
Grammata, dum primum turba tenella, legit.

Arcanum Triados primis insculpitur annis,  
Nempè puer seris, quod veneretur, habet.  
Suge puer Triadem nutricis ab ubere, vite  
Quæ tibi causa brevis, vita perennis erit.

Nota. Tria sunt virtus apud Rhetores & grammaticos, esse b. rbarum, obscurum, inordinatum. Tres econtraria virtutes, esse emendatum, dilucidum, ordinatum. Ita Diomedes grammaticus & Fabius.

## SYMB. 20. de eodem

*Ego, tu, ille,*

**P**ersonas tres Grammatici numerare soletis;  
Tres, puto, Personas in Deitate docent.  
Qui Pater est (a) *Ego sum qui sum dixisse fatendum est.*  
*Tuque* (b) sede a dextris, Nate coeve, meis,  
Ordine Melchisedech *Tu* diceris esse sacerdos;  
Omneque vos verum Spiritus (c) *Ille* docet.

[a] Exod 3. [b] psal. 105. Ubi nota esse hæresin anthropomorphitarum dicentium: Deum corporeum esse, & Filium corporaliter sedere ad dexteram Patris. Sedere autem est, habitare vel esse in gloria Dei, dicit S. Aug. Et dextera Filii non opponitur loco medio Patris, sed iusto: at sinistram enim est Spiritus: S. qui a Patre & Filio procedit. Nec est hic ordo dignitatis, sed processionis, qui solus in divinis est. Aut potius ad sinistram sunt alij Sancti minores. Iste ac alij modi explicandi adferuntur a Comment. in psal. 105. & ad Coloss 3. [c] Ioan 15.

De scientijs finis esto. Quædam alia sequenti subdivisioni reservantur. Pro coronide hic annotare serviat; optimam de Trinitate scientiam esse eam: Renovavit in spiritu mentis vestræ, & induit novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis. Eph. 4. & cum Poëta parumper variato de hac scientiâ dico:

Si

Si Tri adem nescis nil est si cætera nescis,  
Si Tr iadem nescis, nil est si cætera nescis.

Unde S. Chrys. hom. 10. in Marc. sic loquitur: ego omne, quod intelligo,  
sine Christo & Spiritu S. & Patre nolo intelligere: nisi intellexero in Trini-  
tate, quæ me salvavit, dulce mihi non est, quod intelligo. Et rursus Poëta:

Quidquid, amore carens, mundi capit ambitus hujus

Si scirem; ante Deum non nisi sterlus ero.

Nec faciunt quemquam sublimia verba beatum,

Gratus quis solā fit pietate Deo.

Elato astrologo lustranti sidera, simplex

Rusticus est melior, Numina qui metuit.

Judicium gravius, fueris quò doctior ipse

Excipies; pietas si tibi defuerit.

Hæc modesto, simplici ac Sancto stylo, ac plura similia vide apud nostrum  
Herm. Woestenraedt lib. 1. de Imit. Christi, carinane redditio, cap. 1. &  
2. quem edidit anno 1623. postea domiū Leodiensis Prior factus. In quo  
officio aliud edidit opus de 42. mansionibus Israelicis, seu 42. Vijs ad  
cœlum, opus ter pium, juxtaque egregiè doctum. Item lege Nostrum P.  
Dardejum in suis Poëmatibus editis Leodij. Anno 1632.